



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LVI. Differentia 13. Iure Canonico pro legitima filiorum consequenda
revocantur alienata per parentes in fraudem liberorum, etiam si alienatio
facta sit ex causa onerosa, puta, venditionis, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

LVI.

DIFFERENTIA 13.

Iure Canonico pro legitima filiorum consequenda revocantur alienata per parentes in fraudem liberorum, etiamsi alienatio facta sit ex causa onerosa, puta, venditionis, vel permutationis, c. Raynottius, de testam. Sed Iure civili revocantur tantum alienata in fraudem ex causa lucrativa: l. omni modo, C. de inoff. donat. l. Non usque adeo, ff. Si à parente quis fuer. manumissus. Ioann. Bapt. à S. Blasio 41.

I. Legitima portio est pars hæreditatis à lege constituta filiis, cum enim testator olim bona sua, seu totam hæreditatem posset aliis relinquere, iure cautum est, ut legitimam hæredibus partem relinqueret, l. *Omni modo, C. de inoff. testam.* Hæc Iure naturali filiis debetur, ut supra in Differ. 9. explicatum est, qui sine causa exhæredari non possunt: illis morenis debetur nepotibus, qui legitimè ex illis nati sunt. Nec gravamen illi per legata aut fideicommissa imponi debet, ut fuscè probatur à *Civil. Benedicto in c. Raynottius, v. Reliquit, à n. 28.* Non eadem ubique quantitas, sed pro regionum, aut statutorum varietate varia. Iure communi, quando filii sunt quatuor vel pauciores, tertiam partem habent, cum quinque vel ultra, medietatem, l. *Novissima, C. de inoff. testam.* Juxta morem, & Statuta Orientalis Franciæ nostræ, saltem in Diocesi Herbipolensi legitima filiorum quocunque numero fuerint, duæ tertie bonorum sunt, detractis ex tota massa debitis. *V. Ordinat. p. 167.*

II. Hujus legitimæ subsidio ad vitæ conservationem necessario, ne fraudentur filii, invigilandum sollicitè parentibus est; sed evenit non raro, ut futurorum ignari, aut officii sui immemores in præjudicium filiorum, bona sua alienent: quod si contingat ex causa lucrativa, vel quantumvis onerosa, qualis est venditionis, aut permutationis, alienationem revocari posse usque ad legitimam, ut ea liberis integra maneat ex *c. Raynottius DD.* colligunt. Si autem titulo oneroso facta alienatio est, vendendo aut dissipando bona, tunc, licet regulariter secundum leges revocationi usque ad legitimam non sit locus, possunt tamen filii per officium Judicis ex æquitate petere, ut eis in legitimam, vel pro alimentis aliquam bonorum partem assignet. *Bald. in l. 1. C. Si in fraud. per. licet contrarium teneat in l. Non potest, ff. de adop. Benedictus in c. Raynott. v. Reliquit, & q. singulari de legitima. Tholos. l. 44. c. 5. Mysing. l. 4. Inst. 115. 6. 5. Item si quis. Azor. II. c. 27. q. 9 Bronchorst Centur. 3. assert. 63.*

I 2 TITV-